

1513

P O L E M I C I.

1514

ri hic unum e *Wiclefi* Scriptis, quod apud *Baleum* et *Tannerum* nomine *Physicae naturalis*, aut *Metaphysicae vulgaris*, aut *novellae* venit. Cum vero hi non adferant horum Scriptorum initia, et Rubricator noster jam a fol. 202. manum retraxerit, res in medio relinquenda est.

CCCCVII.

926 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 132. 4. commode perscriptus, et rubricis distinctus inscribitur: *De trinitate Wyclef*, et incipit: *Supereft investigare de distinctione et conueniencia personarum* &c. Tractatus hic relatus alias in praesenti Exemplo subnotatur: *Explicit edicio siue tractatus de trinitate. Anno domini M° CCCC.* Pro vocibus quibusdam per decursum Librarius lacunas destituit.

II. fol. 85. Ejusdem *Wiclefi* Tractatus *de Tempore*, constans Capp. XIII. quorum Summaria in Codice praecedunt, nulla tamen Autoris facta mentione, quem partim e *Tanneri Bibl. Brit. Hib.* ubi Exemplar *ms.* Eccl. Cathedr. *Lincoln.* citatur, eruo, partim ex ipsa Scriptionis indole, quae *Metaphysicae* limites non raro egressa in *Theologica* incurrit, praecipue Capp. posterioribus, ubi de triplici vnitae in Deo, de Irremissibilitate Peccati in Spiritum S. &c. Initium est: *In tractando de tempore sunt aliqua ex dictis superius capienda* &c. Igitur nexus est praefens Tracta-

tus cum praecedente quodam, qui fortassis ille est, quem *Baleus* et *Tannerus* de *Temporis Quidditate* inscribunt. Noster finit: *Subtrahendo ab eo orationis suffragium.*

III. fol. 125. p. 2. alia, admodum difficili manu adjecta est *Differtatio: Quomodo christianus ad ministrandum disponi debet et digne recipiendum sacramentum corporis christi.* Init: *Docet apostolus I. Cor. XI. sic dicens. Probet autem seipsum homo* &c. Cum inter *Wiclefiana* intercepta sit, fortassis ad illum quoque pertineat, sequitur enim;

IV. fol. 129. p. 2. *Wiclefi* Epistola ad *Vrbantum* Papam jam saepius indicata, et incipiens: *Gaudeo plane detegere* &c.

CCCCVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 936 XV. Folior. 173. 4. caractere crassiusculo exaratus, rubricis distinctus, notulis marginum, etiam *bobemicis* adspersus, et olim *Wenceslai Rossii* saepe memorati Sacerdotis *Presorouiensis*, qui inter alia levioris momenti *Φαινομενον* etiam quoddam in occasu Solis hora 24. anno 1541. Dominica post *D. Mathiae Wlaffmii* observatum *bobemice* ad calcem descripsit, continet Opus illud exegeticum, quod indicavi *Cod. CCCXCVII.* inscriptum *De Abominatione*, quod vero hic sequentem Rubricam praefert: *Incipit de XII abominatione in loco sancto, Capitulum primum quod sacerdotum*

1515

C O D I C E S

1516

*sacerdotum diffencio in ecclesia est  
abbominacio et causa abbominacio-  
nis et de pace mala. Ozee 5°. ca-  
pitulo. Initium: Audite hec sa-  
cerdotes et attendite &c. In Pro-*

testatione sub finem, uti in Exem-  
plo mox cit. habentur illa verba:  
*puta ecclesie Romane, ad quae  
adludens Possessor Rossius hos  
Rhythmos subdidit:*

*Wikleff swym porzadem*

*Czoz psal y snerzadem*

*Proti Cyrkwi Swate*

*Poddawa to Rzimu take:*

*Y sam se smjssuge ktomu*

*Kto ma pak wierziti tomu*

*Kdiz s sšieredix sluzebniky Czirkwe*

*Gedomatym swym Jazikem zase ge lizie.*

In hunc sensum, ut me docuit  
Cl. Fortunat. Durichius quotidia-  
nus Bibliothecae Palat. Hospes,  
meusque in *Bobemicis* Oedipus:  
*Wicleff suo ordine, quod scripsit  
etiam inordinate contra Ecclesiam  
Sanctam, offert id Romae quo-  
que, et ipse hoc deridens. Quis  
ergo huic (rei, Scripto) credat?  
Cum turpiter descriptis ministris  
Ecclesiae venenata sua lingua ite-  
rum eosdem lambit. Seculo igitur  
XVI. Opus istud in ipsa Bohemia  
tribuebatur Wiclefo, et reapse  
Wiclefum scripsisse L. I. de Abo-  
minatione Desolationis testatur in  
Catal. Opp. Job. Baleus Scriptor.  
Brit. Cent. 6. edit. Basil. 1557.  
p. 452. f. At vero Editores Opp.  
Job. Hussi Tractatum praesentem  
T. I. ad p. 473. fidenter infer-  
uere, ut Cod. CCCXCVII. vidi-  
mus. Quamvis autem parum re-  
ferre possit, an ad Magistrum,  
Discipulumve pertineat Opus, in  
quo non pauca Doctoribus Evan-  
gelicis indigna, et verecundis au-  
ribus respuenda, praecipue C.*

48. occurrunt, juvat tamen pau-  
lisper expendere momenta, quae  
praeter adductam autoritatem ex-  
ternam ex ipso Opere petita pro  
*Wiclefo* militare videntur. Et  
primo quidem fol. nobis 57. p. 2.  
edit. p. 513. quae de Malis Ec-  
clesiae a Magistris Parisinis prae-  
visis et ante annos 136. duobus  
*Libris* descriptis memorat Au-  
tor, magis conveniunt aetati *Wi-  
clefi* a. 1387. defuncti, quam  
*Hussi*, qui a. 1415. supremum  
habuit; manifeste enim alluditur  
ad *Guilelmi de S. Amore* Scrip-  
tum de *Periculis novissimorum  
Temporum*, et *Collectiones Catho-  
licas*, cum dicat Noster: Sic in  
novissimis temporibus jam ad o-  
culum hodie visa sunt omnia esse  
adimpleta &c. Secundo fol. 59.  
edit. p. 514. invenias *Beghardos*  
et *Turspinios*. Rescribendum pu-  
to *Turelupos* vel *Turlupos*.  
Ita adpellati *Valdenses* in *Gallia*  
circa 1372. quae adpellatio fa-  
cilius in *Angliam* transierit, quam  
in *Bohemiam*. Tertio fol. 88. p.

2.

1517

P O L E M I C I .

1518

2. edit. p. 535. legitur: *Videre est miro modo quodlibet Regnum magis in uno vitio mortali laborare, ut Francigenae in superbia, Flandri et (Mf. Remus) Austriales in luxuria, Almani uel Teutonici in auaritia, bohemi et poloni in gula. Et ita de aliis. Ubi Anglia? Et an Hussus ita indifferenter de Popularibus suis? Quarto fol. 94. edit. p. 539. agitur de Cultellis, quos solent (Mf. Deca) dycam captum a teutonico nuncupare. Nonne Angli, quorum Dag, Dagger, ut vult Johnson, a Gallico Dague, potius autem una cum Gallico hoc vocabulo ab antiquato Teutonico Dag, Dacke, Cuspide, quod etiamnum in Zacke, Tacke, Degen superest, derivatur? Bene igitur Librarius noster Bohemus vocem hanc Deca seu Dyca Popularibus suis ignotam in margine Mecz dluby reddidit. Quinto fol. 95. edit. p. 539. occurrunt Curienses atque Burgenses. Nescio, an posterior adpellatio in usu Bohemorum fuerit, videor-que mihi videre Anglicum Burgess. Sexto fol. eod. p. 2. edit. p. 540. item fol. 96. p. 2. edit. p. 541. ut nihil dissimulem, legitur de genere quodam Vestimenti: ut vulgo dicitur, Joppa, et de Nobilium Insignibus gentilitiis: quae in vulgo Bohemorum dicuntur Klenot, et in lingua theutonica (Mf. Herb) Erb. At quaeri possit, an non haec a Librario Bohemo, qui Opus nostrum Popularibus suis adaptare voluerit,*

primum margini adscripta γλωσσηματα deinceps in Textum irrepererint, ut saepe factum, et vel hic fieri potuisset, ubi praeter dicta in Textu ad marginem insuper notatur: *Bohemorum dicitur Klenott. To Joppa olim etiam ad Anglos pervenisse ex illorum Gippo, Jub, Jump liquet. Septimo fol. 97. edit. p. 541. Signeta faciunt.* Haec quoque Vox a Normannis in Angliam delata vix apud Bohemos obtinuerit. Ex his penes Lectorem iudicium esto, num Tractatus de Abominatione non magis Wiclefo tribuendus sit, id, quod fortassis agitari etiam possit de Quaestione: *Vtrum liceat Clerum pro Concione corrigere.* Vide Cod. CCCIV. n. 10. Ceterum malam fidem Editorum Hussi, quod jam Cod. CCCXCVII. feci, rursus accusare cogor. Ita speciminis ergo fol. 17. p. 2. ubi Codex de Clericis: *non solum quoslibet plebeios decipiunt et peruertunt sed et summum apicem ecclesie ipsum papam, ipsi p. 484. impressere: sed etiam summum apicem et creatorem suum papam, additis mendosis Bullis, de quibus nihil in Codice. Fol. 55. p. 2. pro: et omnia armamenta habent in domo Domini, posuere p. 512. Romana armamenta. Fol. 58. p. 2. ad: consuetudinum et rituum ecclesie, p. 514. addidere Romanae. &c. Nisi dicere malis, eos ad procurandam Operum Hussi editionem corruptis jam olim Codicibus usos fuisse.*

U 3

CCCCIX.